



Disputatio juridica inauguralis de emtione venditione

<https://hdl.handle.net/1874/343319>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
EMPTIONE VENDITIONE,

Q U A M
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ADRIANUS BESEMER, DORDRACENUS.

Ad diem 11. Aprilis horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō lōc xcii.

Nobilissimo Consultissimo
VIRO,

D. JOHANNI DE WITT,
J.U.D. Domino in Heeken-
dorp &c. Civitati Dordra-
cænæ à Secretis, magni Pa-
tris optime de Patria meriti,
filio haud degeneri, antiqui-
tatum bonarumque littera-
rum indagatori sedulo. Ami-
co & Fautori singulari.

Hoc exercitium Inaugurale
consecrat

ADRIANUS BESEMER.



DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS
DE
EMPTIONE VENDITIONE.

THESIS I.



Inter Contractus consensu
constantes præcipuus est
Emptio Venditio, qui licet
duplex nomen subeat, ta-
men unum contractum de-
notat *l. 19. ff. de Act. Emt.*,
Emptio dicitur ex parte em-
toris, Venditio ex parte venditoris, definiri
potest hoc modo: Emptio Venditio est con-
tractus Juris Gentium, nominatus bonæ fidei,

consensu constans, de re acquirenda pro certo pretio.

I I.

Substantialia Emptionis & Venditionis sunt tria, 1. Consensus, 2. res seu merx, 3. pretium; Consensus requiritur ab utraque parte *l. 9. ff. de Contr. Emt.*, res à parte venditoris *l. 8. ff. eod.*, pretium à parte emtoris *l. 2. §. 1. ff. eod.* De singulis breviter dicemus.

I I I.

Quod ad Consensum attinet, dicitur consensu constare, quia solo consensu perficitur, nec ad substantiam suam desiderat verba, scripturam, aut rei traditionem, *tit. inst. de obl. ex consensu l. 2. ff. de obl. & act.*

I V.

Consensus debet esse liber, nam nemo invitatus cogi potest ut emat vendat *l. 11. Cod. de Contr. Emt.* nisi utilitas publica id exigat *§. fin. Inst.*

Inst. de his qui sunt sui vel alieni juris, vel etiam favor religionis id postulet *l. 12. ff. de relig. & sumt. funer.*

V.

Consensui maxime contrarius est metus, dolus, & error *l. 116. §. fin. ff. de Reg. Jur. l. 15. ff. de jurisd.* Quid si igitur vi metuque extorta sit venditio, restitutio in integrum contrà talem contractum peti potest *l. 1. Cod. de rescind. vend.* omnis enim contractus metu initus ipso jure subsistit, sed ex Edicto Prætoris restitutio datur *l. 21. §. pen. ff. quod metus causa.*

V I.

Quod ad Dolum attinet, distinguendum est, utrum inciderit in Emptionem; an vero emptioni causam dederit. Dolus dicitur dare causam contractui, seu emptioni, cum aliquis ad emendum vel vendendum inducitur, qui alias contracturus non esset. Dolus dicitur incidere in emptionem, quando quis animum

contrahendi quidem habebat, sed dolo inducitur ad pluris emendum, vel minoris vendendum. Si dolus emtioni, (vel etiam alii contractui bonæ fidei) causam dederit, emtio est ipso jure nulla *l. 7. pr. ff. de dolo malo*. Si dolus inciderit in emtionem; emtio quidem ipso jure valet; sed rescinditur actione emti *l. 11. §. 3. l. 13. §. 4. ff. de tit. emt.*, vel agenti obstat exceptio doli *l. 7. §. 3. ff. de dolo*.

V I I.

De Errore ita habendum; si erratum sit in corpore, vel in tota materia, emtio est ipso jure nulla *l. 9. pr. §. 2. ff. de contr. emt.* Si erratum sit in qualitate, vel in parte materiæ, emtio subsistit *l. 21. §. 2. ff. de act. emt.*, sed decepto emtori datur actio emti ad interesse.

V I I I.

Dictum de consensu; sequitur alterum substantiale, res quæ venditur seu merx, nam sine re quæ veneat, nulla venditio est *l. 8. pr. ff. de contr. emt.* ut autem res emi vendi possit.

1. Re-

INAUGURALIS. 7

1. Requiritur ut sit in rerum natura l. 15. ff. de contr. emt., sufficit tamen ut aliquando existere possit, nam sic fructus nascituri & partus futuri vendi possunt. d. l. 8.

IX.

Secundo requiritur, ut res quæ venditur sit in hominum commercio, quædam enim res natura sua, quædam Jure Gentium, quædam Jure Civili hominum commerciis exemptæ sunt l. 34. §. 1. ff. de contr. emt. Quænam ipsa natura extra commercium sunt per se satis patet, tales præcipue sunt res communes, quæ in proprietate nullius hominis sunt, ut mare, aër, littora maris, sol, Luna, stellæ &c.

X.

Jure Gentium extra commercium sunt homines liberi §. fin. inst. h. t. l. 6. ff. eod, item res sacræ, sanctæ, religiosæ l. 22. ff. eod. Jus Civile commerciis hominum exempt, res usui publico destinatas, ut fora, theatra, balnea §. 2. inst. de inutil. stipulat., venena mala l. 35. §. 2.

§. 2. ff. h. tit. res litigiosas l. ult. Cod. de litigiosis.

X I.

Restat ultimum substantiale emtionis venditionis, nempe pretium, nam sicuti sine re, ita etiam sine pretio nulla est venditio §. 1. & 2. inst. de emt. vend. l. 2. §. 1. ff. eod. pretii qualitates præcipue in his consistit. 1. Pretium debet esse certum d. §. 1. & l. 35. §. 1. ff. eod. Certum est pretium tribus modis. 1. Per se. 2. Per relationem ad aliud. 3. Per relationem in arbitrium tertii.

X I I.

Per se certum est pretium, ut *vendo tibi illum equum centum aureis*. Per relationem ad aliud, ex. gr. ille equus sit mihi emtus quantum emisti, vel pro pretio quod in arca habeo. l. 7. §. 1. l. 37. ff. de Contr. emt.

XIII. Præ-

INAUGURALIS. ,

XIII.

Præterea certum etiam est, si conferatur in arbitrium tertii certi §. 1. *inst. h. tit. l. fin. Cod. eod.*, veluti, *illa res sit tibi emta quanti Titius eam determinaverit*: Quid si Titius aut determinare nolit aut non possit, tunc deficit emptio, si autem pretium definiverit, tunc perfecta est emptio, & secundum ejus æstimationem pretium persolvi & res tradi debet. *dd. ll.*

XIV.

Secunda qualitas pretii est, quod debeat consistere in pecunia numerata §. 2. *inst. h. t. l. 2. §. 1. ff. eod. l. pen. Cod. de rerum permut.* Hoc nomine emptio, præcipue differt à permutatione, in qua ab utraque parte res pro re datur. *l. 1. pr. ff. de rer. permutat.*

XV.

Tertio etiam hoc in pretio exigitur ut sit justum & verum, non dicis gratia constitutum *l. 54. ff. de obligat. & act.* non etiam plus

B

con-

continens quam dimidium valorem rei aut duplo plus, tunc enim locus est remedio legis *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* qua constitutum, ut venditor vel emtor, si ultra dimidium læsi sint petere possunt, ut vel venditio rescindatur vel læsio resarciatur.

X V I.

Sequuntur contractæ emtionis effectus, primus est Translatio periculi in emtorem, licet enim perfecta emtione dominium rei venditæ maneat penes venditorem, donec res tradatur §. 3. *in fin. inst. h. t.* attamen omne periculum vel interitus vel deteriorationis ademtorem pertinet *d. §. 3. l. 8. pr. ff. de periculo & com. rei vend. l. fin. Cod. eod.*, cum enim à tempore venditionis omnia commoda ejus quoque sint *d. §. 3.* æquum est ut commoda quoque sustineat. *arg. l. 10. ff. de Reg. Juris.*

X V I I.

Secundus effectus est, quod à contracta emtione alter invito altero recedere non potest
l. 3.

l. 3. l. 6. Cod. de rescind. vend., sed tantum communi consensu §. *fin. inst. quib. mod. toll. obl.*, sicuti enim ab initio liberum est contrahere, vel non contrahere, ita renunciare obligationi semel constitutæ adversario non consentiente nemo potest. *l. 5. Cod. de Obl. & Act.*

X V I I I.

Tertius effectus est quod ex hoc contractu duplex nascitur Actio, nempe actio emti & actio venditi, Actio emti, est actio personalis, bonæ fidei, quæ datur emtori *l. 11. pr. ff. de Act. Emt.* adversus venditorem *l. 1. §. 1. eod.* ut tradat rem venditam §. *1. h. tit. d. l. 11. §. 2.* cum omni accessione *l. 11. §. 1. l. 13. pr. ff. eod.*

X I X.

Disputant interpretes, an venditor præcise teneatur rem venditam tradere an vero libere-
tur præstando id quod interest; quod præcise
teneatur tradere multi statuunt, atque illud
etiam praxi convenire videtur, de Jure Civili
tamen contraria sententia præferenda est *arg.*

B 2

l. 13.

12 DISPUTATIO JURID. INAUG.

*l. 13. ff. de re jud. juncta l. 72. ff. de verb. obl.
l. 1. l. 12. l. 13. §. 4. ff. de Act. Emt. l. 4. Cod. eod.*

X X.

Actio venditi est actio personalis, bonæ fidei, quæ datur venditori *d. l. 13. §. 19.* adversum emtorem, ut solvat pretium cum usuris à tempore moræ. *d. l. 13. §. 20.*

F I N I S.

